

idonea ad homines retinendos in officio et quae ipsos circumdare potest peculiari quadam autoritate. Ex his multi adeo saeuas odiorum flammam aduersus contradicentes concipiunt, qui aliqua ab ipsis parum prius intellecta monstrant, vt etiam contra hostes omnis religionis christianae nihil dici aut suscipi  
 5 possit inclementius. Hi vero proprie diaboli flabella sunt, quae incendium hoc tantum sine fine amplificant, nec vlla salutaria remedia quaeri aut adhiberi patiuntur. Sunt tertio loco quidam dissimulatores astuti et callidi, qui etsi, quid verum sit, non ignorent, tamen, quia potentibus aut populo ea oratio ingrata est, ipsi etiam ad eorum sese opinionem inflectunt atque etsi prius  
 10 non obscure, quid senserint, protulerunt, tamen postea vt labrax piscis, qui, vbi hamum vorauit, os sibi lacerat, vt quoquomodo se explicet, ita ipsi sese retexunt, corrigunt et ferme vt olim Athenienses Demetrio<sup>17</sup> assentabantur, quod regi placet pium esse pronunciant. Sunt tamen deinde alij, etsi pauciores, qui nec naturali procliuitate nec cupiditatibus aut metu se superari patiuntur, sed pio et moderato cum studio simplicem veritatem quaerunt extructam ex testimoniis diuinae vocis et sincerae antiquitatis suffragiis eam vera inuocatione et exercitiis poenitentiae confirmant, quam etiam non ad turbandas ecclesias, sed ad piam consensionem constituendam transferunt, in quorum numero nos etiam, vt inueniamur Deum toto pectore, precemur.  
 15  
 20 Quia vero disputationum harum magna est varietas et dissimiles magna varietate struuntur labyrinthi et cuniculi, ita vt rari reperiantur, qui fontes huius causae recte intelligant aut aliis dextre tradere sciant, praesertim cum [9:] homines a scriptis partis contrariae tanquam a venenis arceantur, breuem hanc collegimus syluam, in qua, quod in aliis artibus omnibus fieri necesse est,  
 25 quasi quaedam causae huius *σωματοποιήσις* proponitur et praecisus omnibus vel non necessariis contentionibus aut etiam conuitiis, per quamdam σύνοψιν fundamenta causae monstrantur. Nec hoc nostrum est consilium, vt hoc modo nitro et carbonibus acetum offundere et nobis certamina cum aliquibus, quicunque tandem illi sunt, attrahere velimus, sed vt nos ipsos in hac difficili  
 30 causa erudiamus et inuentis fontibus rectius iudicare possimus. Non igitur theologos nostros, quibus plerisque vt olim dictum est ira habitat in auribus et quorum plurimi – bonos semper excipio – potius pro focis quam pro aris dimicant, corrigere aut instituere conamur, sed priuatim nobis hic commentariolus sine cuiusque iniuria aut contumelia seruiat.

<sup>17</sup> Demetrios von Phaleron war ein athenischer Politiker und Philosoph; von 318 bis 307 v. Chr. nach erfolgter Ernennung durch den makedonischen Regenten Kassander Oberhaupt der Athener Stadtregierung. Von dem heranrückenden Heerführer Demetrios I. Poliorketes bedrängt und von den Athenern mit dem Todesurteil belegt, wich Demetrios 307 nach Ägypten aus und lebte bis zu seinem Tode unter der Ägide der Ptolemäerherrscher. Vgl. Eckart E. Schütrumpf, Art. Demetrios von Phaleron, in: NP 3 (1997), 429f.